

1215

C O D I C E S

1216

rum duxerit perturbanda, que per potentiam tuam ab aliorum debent molestatione defendi; nequaquam ulterius poterimus equanimiter sustinere, quin pro honore illius quam suscepimus diuina cooperante gratia gubernandam nos, ut ad nostrum spectat officium, opponamus. Datum Verone XIII. Kal. Julii.

Codicem nostrum olim ad antiquissimum Bavariae Coenobium *Weltenburgense* pertinuisse repetita saepius ἐπιγραφή: *Liber S. Georii Weltenburch*, docet, cujus Abbatem *Michaelem* 1418. multos Codices abalienasse inuenio, quo fortasse spectat illud fronti pag. 1. adscriptum: *Accepti dono ab abbate.*

## CCCVIII.

342 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 150. f. probe scriptus, rubricisque pernotatus complectitur *Ruperti Abb. Tui-tiensis* Sec. ejusd. Scriptoris, O. S. B. an. 1135. defuncti *Libros XIII. de Victoria Verbi Dei*, de quibus jam ad *Cod.* praeced. dictum est. Praecedat hic *Librorum Capitumque recens*, qui tamen satis exactus non est. *Fol.* 12. p. 2. minio: *Incipit prologus Ruberti de uictoria uerbi dei.* *Fol.* vero 14. *Incipit liber. Domini abatis. Ruodberti tuiciensis de uictoria uerbi Dei.* Initia dedimus *Cod. supracit.* Lectio collata cum edit. *Veneta* 1749. T. III. *Opp. Ruperti* genuina est, sed ab iis L. XII. c. 24. uerbis: *quamuis*

*apostolus grecis scribens et pro ne*  
— — — mutilum est *Exem-*  
*plum.*

## CCCIX.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 121. f. probe scriptus et rubricis distinctus complectitur I. *Ruperti Abbatis Tui-tiensis Libros IX. de Glorificatione Trinitatis et Processione Spiritus sancti*, qui in edit. *Veneta* 1749. prostant T. III. p. 3. Titulus miniatus est: *Prologus Abbatis Ruberti ad Honorium Papam. Ante faciem tuam o princeps beatissime &c.* Nescit *Veneta* nomen Pontificis, e quo, cum *Honorius* ab a. 1124. ad 1130. sedem tenuerit, simul tempus eruitur, quo *Rupertus* egregium hoc Opus elaboravit. Hunc inter et sequentem *Prologum* intercedit *Capitulum Index*, qui deinceps cuiuslibet Libro praefixus est. Incipit uero alter *Prologus: Quid faciam o Philochristi omnes auditores beniuoli &c.* dirigiturque post medium ad *Canonem* ex Abbate *Sigibergensi* jam *Ratisponae Praefulem* ✠. ut supra dixi, 1130. Opus ipsum, si integritatem spectes, cum editis consonat; non deest tamen lectionis uarietas. Clausula miniata totius est: *Explicit liber nonus de glorificatione trinitatis. et processione spiritus sancti. domni Ruperti tuiciensis abatis.*

II. et quidem a fol. 99. *Incipit liber eiusdem. de meditatione mortis. Quid nunc agis o anima?*  
Saltem